

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

Populus alba. Emblema CCXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Populus alba.  
EMBLEMA CXXII.



**H**ERCULEOS crines bicolor quòd Populus ornet,  
Temporis alternat noxq; diesq; vices.

COMMENTARIUM.

1.  
Populi  
alba com-  
sideratio.

**P**OPVLVS alba arbor est auctu perquam facilis, citò in altitudinem affurgit, superius ramosa, caudicis cortex laevis est, ramulorum verò etiam albicans. Folia sunt lata, profundus incisa ac angulosa, vitigineis ferè similia, sed multò minor; superiore parte laeuius glabra, & vitetia, auersa verò albida ac lanuginosa: iuli oblongi, papposi, initio purpurascens: radices in diuersa tendunt, summo terrae cespiti subsunt, nec altiùs demittuntur, atque idcirco validiore vento has arbores subuerti non rarò accidit. Apponitur huc figura Solis & Lunae, quibus Aegyptij temporis perpetuitatem significabant, teste Oro.

**P**OPVLVM albam Herculi sacram I I.  
Plinius tradit c. 1. lib. 12. & lib. 16. cap. 23. Populus  
alba Ely-  
entis sa-  
cra.  
Hæc quòd sit folio semper tremulo, superne candicanti, & inferiori parte viridi, temporis motum continuum in diem clarum, & obscuram noctem distributum, repræsentat. Sic autem Plinius: Populus alba alba, alia nigra, alia quæ Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima, fungisque enascentibus laudatissima. Alba folio bicolor, superne candicans, inferiori parte viridi. Hanc albam populum Herculi indigenæ sacram, idem Plinius scribit, & Virgil. Ecloga 7:  
Populus Alcida gratissima, vitis Iaccho.  
Adhæc Lilius Gyraldus Syntagm. 17. hist. Deorum

Deorū, hos Virgiliana auctoritate reprehendit, qui tradunt eos sola lauro coronari soltos, qui ad aram maximam Herculi facta facerent. Sic enim Virgil. in 8.

--- Hercules bicolor cum populus umbra  
Vel autiq; comas, folijsq; innexa pependit.  
Et paulo post:

Populeis adsunt euinēti tempora ramis.

Hoc quidem vidit diligentissimē Pictius lib. 52. Hieroglyph. qui populo arbore tempus significari ait, quōd sit bicoloribus folijs, quippē quæ diem ac noctem referre videatur. Quin etiā hæc habet populus commune cum tempore, quod eius folia post solstitium circumaguntur, nec vilo argumento certius intelligitur sidus confestum. Sunt quidem pleræque arbores, quæ duorum colorum folia habeant, vt sunt oleæ, salices, citri: in illis tamen color penē idem, licet ab vna parte dilutior, altera densior atque coloratior habeatur. In populo verō, alba præfertim, candor vna ex parte penē niueas ac ceruissatus, ex altera portacei folij instar viridissimus. Eius arboris coronam gestasse Herculem narrant, cum ad inferos descēdit, eamque partem, quæ foris esset conspicua, fuligine tetri chaus obscuratam, quæ condabatur iateritus sudore ablutam cādidiorē euassisse: inde cum furculos eos in Acherontis ripa sensisset, seminum id larē propagatū. Secus habet Pausanias qui asserit ab Hercule populū albam ex Thesprotide regione iuxta Acherontem fluiuiū genitā ad Græcos fuisse translata, atq; hinc fabulæ locum datam. Acheron enim Thesprotidis fluiuius Leucen, quæ alba est populus, passim fert, perinde ac Alpheus oleastrum, Alopus Bæotie iuncos, Mæander myricas, Persicam Nilus. Sed omnes hæc opiniones sigillatim recensere vt nō est animus, sic non video quam sit necesse.

HERCVLEOS crinet] Populus cum tempore sit solum, vt diximus, meritō Hercules populū gestat coronam, nam & Hercules ipse tempus est. Etenim Macrobius 1. Saturn. cap. 20. Hercules tempus esse ex professo tradit, & Osiridis imaginem tricipitem describit, quem & Herculem, & Solem nominat.

Bicolor] Græcè δίχρους ἄρπυγος.  
Populus] populus sic appellata videtur à frondium multitudine. A nonnullis Farfatus nominatur, vt à Plauto in Pœnulo.

--- Viscum legioni dedi,  
Fundasq; eos prosternebam vt folia farfari.  
Apuleius: Folia sunt farfari & nuga meræ. Quod Lipsius pronerbij vice vsurpatum annotat Epist. quæst. lib. 2. De populo, eiusq; differentijs vide Theophrast. lib. 3. histor. plant. c. 1. & lib. 5. de caus. cap. 8. Dioscorid. l. 1. c. 114.

Temporis alternas &c.] Apud Horatium 1. Carm. Teucer, cum Salamina patremq; fugeret,

Tempora populea fortur vinxisse coronam vices temporum ac fortunæ designans. Quod idem Horatius ad Canidiam Epodo 17. citra figuram arguit his verbis:

Vrget diem nox, & dies noctem.

Populeam coronam etiam ad signum fortitudinis traxit Ouidius epistola Deianiræ Herculi:

Ansus es hirsutos mitra redimire capillos?

Aptior Hercules populus alba coma.

A L B Æ populi frondibus Herculem coronari, ad significandum temporis continuum cursum, perpetuumque motum, iam diximus. Ne verō aliquid antiqui finamus intactum, Athenagoras, Atheniensis Philosophus, Apologia pro Christianis, eo loci vbi deorum gentilitium monstrositatem arguit, exempla quædam confert, sed primum Herculis, gigantum alterum, & tertium Proserpinæ. Herculem Deum inuolutum dracone ex Orpheo dicitur dem cum Orpheo κορυμβορίας referens, ita describit, vt alterum caput habere à natura leonis dicat, & inter alia duo, quorum vnum est draconis, alterum leonis, medium caput Dei sit, hunc Herculem tempus fuisse nominatum, & onus prægrande ait posuisse: quæ physicis rationibus vtrinque constant, vt solent reliquæ Græcorum fabulæ. Probus Grammaticus commentariis in Virgilium testatur, phisicos Herculem tempus interpretari, idēque illi populū arborem ἀλλήγορηκῶς assignari, quōd bicolor sit: quæ hæc ratione partes temporis indicet, diei scilicet ac noctis. Et serpentem seu draconem conuolutum temporis habere solum, in semetipsam reuoluti, notius est quam vt testimoniis egeat. Tria igitur Herculis ea ita, tria sunt intervalia temporis, præteritum, præsens, futurum. At præteritum quidem rectè per leonis caput exprimi, cum eius possessionem scriptis ac nemo-

Coronam populeam signū fortitudinis.

IV.

Hercules triceps quid.

Populus arbor, temporis symbolū.

Folia populi cur bicoloria.

III. Hercules, pro tempore.

ria firmissimam homines teneat: futurum per draconis caput. Ut enim futura prospicimus, ita nullum animal est, quod acutius videat: nam & draco à videndo dicitur, nempe *Draco*, ut alibi dictum. Præfens portò tempus per Dei caput exprimitur, quia Deus, qui tempori subiectus non est, neq; præteritum, neque futurum sentit, sed in præfenti semper est. Quod autem hic Hercules prægrande opus posuerit, vnde cælum & terra originem duxerit, hoc significat, hunc mundum, & quæ in eo sunt omnia tempore esse subiecta: initium scilicet cepisse, & proinde habitura finem: Deum verò eius conditorum solum esse immortalem. Est ergo publicus morbus mortalitas, nihilominus videas multos (ut salutari aliquo monito, quale passim inieci, concludam) qui sibi immortalitatem audeant spondere in hac vita, id quod eorum vita perditæ & soluti motes abundè docent. Hi in media fuga stare volunt, & ruendo quiescere: interim feruntur imperu, nec sentiunt motum, sicut qui noctu nauigant, in ipso cursu tacent, stertunt ac dormiunt, rapiente fluctu & remota: finalis à tempore prouectio, labitur atq; aufert secum quidquid sub Luna, perenni fuga, nec in mora vel momentum. Mirari sæpius soleo hominum istorum infantiam, qui ex argilla cum sint & luto caducum plasma, fortunæ se ictus ac mortis sustinere posse illaso vaseculo, stolidam nescio quam persuasionem iam dudum imbibierunt. Cocant in ingètem globum militum aliquot cohortes, clausæ hostilibus alis, tormentorum omnis generis horribili nube circumtonant, quis securitatem ibi speret? Nos in acie stamus omnes aperto campo, circumsepti vallo mortis, nec ad egressum patente portæ: hæc Iero passu circuit & lunat arcum, aut fundam rotat, cõmuni meta & periculo: sentum suum aut lorica neminem defendit (audite sentaci & loricati thraiones) pellicis est & caro, exigua firmitudinis ad resistendum, hosti præsertim sic exercitato & assueto victoria. Quinimò nostris armis vincimur, quæ sanè miseranda calamitas: partes enim quæ componunt, destruant demiq; & soluant iterum, iuuante natura aq; coniuente, quam acerbius idcirco nonnulli velut periturij ream maledictis imperant, clamant se desertos ab ea ac pro-

Publicus  
morbus  
mortalitas.

ditos, vbi maximè tutela optus ac presidio? Falsò cessit iuri suo, nec potest aliter, mancipium peccati, spoliata dominatu ac priuilegijs maximis; ex pacto nunc vicaria & subdelegata potestate fungitur certis conditionibus, vt scilicet sub imperio submittat falces suas, cum iussa, & quoties, reddito deposito per manus mortis, quæ iustè repetit ex mandato & lege, quam generalis ille creditor Deus dicitur. In tabalis istis fati singulorum nomina, subscriptissimus publicæ cautioni, quæ vniuersos ligat, & in vniuerso quidquid nascitur. Annum & minutissimas eius sectiones consideremus, infantiam suam habent ac senium, cum medijs interuallis: principia vernant in succo & vigore, extrema languent & moriuntur. Ita hominis conditio est, à flore in fœnum; necesse enim, vt spicam quæ maturauit, vitam meti. Frigidæ brumæ iniurias sæpe hyeme sentimus, præsertim nos, qui cœlo asperiori subiicemus Germani, lugubri aliquando spectaculo, quod & posteros tangit damni communionem: sit interitus in siluanorum & horcensium ampla illa & numerosa profapia, clade vix reparanda nisi multorum annorum interuentu, natura ipsa stupente, quæ decursa mensium hibernorum periodo, protrudendis gemmis humorem, vt solet, instillatura, canales reperit clausos in arido ligno, & medullam, vehiculum animæ, descendendo alimento nusquam satis dispositam. Ergo non potest tegere cortex, quâuis rigidus & asper, contra vim, stirpem inclusam: & nos fluida hac cuticula, qua operimur, putre signentum, fatorum incurfus & arma vitabimus? Inuersam arborem stantem videri hominem placet Phycis, quod enim radix ibi, truncus & frondes, hic caput est & corpus reliquum cum brachijs & pedibus. Typus igitur nostræ conditionis sit arbor & speculum, in quo fragilis structuræ momentaneam hanc & fugacem molem contemplerur, quæ fortunæ flatibus aduersis, vt Austris illa & Aquilonibus, perpetuò obnoxia: commune verisq; nasci, adolecere, senescere, perire, imò præmori plures & præcurrere senium, præciso termino, sicut tenellis fructes lapsus a staru turbinis in lacte decutitur. Per gradus lentè crescimus, scalam hanc vitæ ascendendo, sed precipitum & casus in puncto, deturbamur in reditu,

non

Vita huius  
mana av  
boribus  
comparat

non delectabilem  
fabilem pe  
guelum no  
tam, h  
picur  
nos omnia  
principium  
cept, alioq  
na prope  
relatione  
tempus d  
in cursu  
iplo vchil  
mo intrat  
quænt, p  
Nimis m  
te; vltim  
omibus

A  
quam  
catum  
aut ca  
ment  
doxæ  
lapla  
bere

Nec  
bns f  
rii, &  
ea, qu  
venit  
roga  
dora  
vber  
Ad

non descēdimus: quis enim in lubrico hoc stabilem pedem figat? Quasi per glaciem gressus nostri, aut cruore natarem semitam, yacillant & labuntur, in gyrum rapiente vertigine, qua mortalitas infestat nos omnes, morbus incurabilis. In finem principium omne tendit, & quidquid incepit, aliquando desinet: à primis ad vltima prospectus, atq; hæc ad illa se vertunt relatione quadam, angusto sanè orbe, quæ tempus describit, intermedio. Qui semel in cursu est, ad stationem properat, & in ipso vestibulo scopum in oculis fert. Nemo intraret, si desperaret exitum: spes quietis, proposita meta, laborem mitigat. Finis miserarum mors est, non solum vitæ; nascimur vt moriamur: fixus rebus omnibus suis terminus; consistendum se-

mel in meta vel portu, quia in sua statione & motu vita nostra, donec appellat, & in eo eadem sine desinat, quò infantia nos fert à primo die, & iuuentia, & sequens omnis ætas, quam incidit deniq; aut abrupit fatum. Nihil quo fuit loco stabit: ruit alià, alià surgunt. Solis lucentes radios furæ noctis dispellunt tenebræ. Nec cum hominibus solum, sed locis, sed regionibus, sed Mundi partibus in hoc interregno tumultuario ludit brachium mortis, & fortunæ proteruia. At tu, mi homo, cogita à manu diuina esse quicquid obtingit, nec casu ferri, sed electione & consilio à prima causa, cui cæcra hæc vniuersa subiacent. Sola cura sit & studium, vt parati tangamur, & in statione quisque sua. O fiat, fiat.

*Omnium rerum vici-  
cissitudo.*

## EPILOGVS.

Ioannis Thulij Mariæmontani.

**A**Vdi Veritas, & tu Sancta Romana Fides: Catholicus sum, & Catholico sensu, quidquid hic vel vquam dixi, scripsi, & publicavi; dictum, scriptum, & publicatum volo. Et te, Benigne Lector, si vel apex offenderit, aut candidè interpretare ad affectum hunc candidum & mentè: aut expunge & oblitera, Veritatis amas, & orthodoxæ Fidei. De reliquo officiū tuū esse memineris, sicubi lapsa est adolescētia nostra, humano errori hominē te prebere Equidem, vt ab initio monuimus.

*Scripsimus hæc subito nimis indigesta labore,*

*Confusumque Chaos, glomeratamque agmine turbam.*

Nec scripta semel calamo torquere, & de verbis, imò rebus singulis in iudiciū ire aut voluimus, aut ob ortij penuriā, & Typographorū importunitatē potimus. Quapropter ea, quæ ad huius operis cōsumationē prætermissa visa sūt, venia digneris: quæ placuerunt, multa prosequaris gratia, rogo. Hæc post rem nō abs re monēdus mihi fuisti mi Lector, ob Aculeonū, & in alienis rebus hoc æuo Curionum vbertatē, qui inscitæ suæ hostorio quiduis radere audēt.

Ad horum auersionem auertentia sacra mecum facias.

INVIDIAE ET PALLORI,

*Finis ab  
origine  
pendet.*